

Rheinisches Urkundenbuch (Ed. Wisplinghoff) Nr. 248

(C.) In nomine sanctae et individuae trinitatis. Uuichfridus divina opitulante clementia Coloniae civitatis archiepiscopus.

Noverit omnium sanctae dei ecclesiae fidelium presentium scilicet et futurorum industria, qualiter nos circa gregem dominicum nobis divinitus commissum piae devotionis studio ferventes nostros legatos ad monasterium sanctae Ceciliae virginis ac martyris Christi nimis honorifice restauratum direximus, ut diligenti inquisitione perquirerent, quomodo illa venerabilis congregatio sanctimonialium deo die noctuque inibi devote fa(mu)lantium in ecclesiastico [of]ficio horis statutis peragendo decertando laboraret et utrum sibi sufficiens victus ad hoc religiose ac perfecte complendum esset delegatus an non. Qui reversi [nu]ntiaverunt nobis illas lacrimosis vocibus se nimium apud eos conquestas esse dicentes sibi numquam in uno eodemque anno tantum de annona in suis locis excrescere potuisse, ut ab initio usque ad finem illius inde vivere quirent. Quo audito fideles nostros tam clericos quam laicos iussimus in nostram venire presentiam ac cum consultu et consensu amborum decrevimus de nostrae ecclesiae rebus illarum prebendas omnimodo amplificare, quod et fecimus. Dedimus itaque eis in pago Coloniensi in villa Rumenthorp nuncupata mansa laetilia XII, sed ex his XIIimum iacet in loco qui vocatur Hoinge. Insuper in eadem villa Rumenthorp mansa servilia III cum mancipiis utriusque sexus in eisdem simul et in prefatis commorantibus, exceptis duobus hominibus et V feminis his nominibus: Euerhart, Elurich, Regina, Regila, Liuda, Uualdichin, Richilt. Similiter in eodem pago in loco qui dicitur Bugchilomunti ecclesiam I cum terra arabili ad eam pertinente ac duo[s] specia]les forastos cum mansis servilibus duobus. Ite[m in] villa Urechana dicta mansa laetilia III cum II[II] servilibus et V hominibus ea inhabitantibus, quorum haec sunt nomina: Abbo, Uuillo, Uoilo, Reginzo, item Reginzo. Addidimus etiam illis omnem decimationem in universis rebus de curte solummodo dominicata, quae in eodem predicto pago Coloniensi in villa Cantinich sita est, donandam esse. Absque hoc in pago Bunnensi ecclesiam in villa Brienich constructam cum uni[ver]sa decimatione ad illam penitus pertinente. Postremum vero in villa Reinsa de vineis particulas III ad VI carradas de vino. Haec omnia superius comprehensa donavimus iam sepe designatis sanctimonialibus donataque in perpetuum esse volumus, ut ibi ob nostri elemosinam et recordationem ad necessariam victus illarum sustentationem proficiant in augmentis perpetualiter in dei nomine ad possidendum. Unde hanc cartam fieri iussimus manumque propria firmavimus manibusque bonorum ac probabilium testium tam clericorum quam laicorum subter nominatorum robo[rar]i fecimus, quatinus apud successores nostros huiusmodi auctoritatis nostrae largitio firma et inconvulsa [omni] tempore habeatur. Et si [quis ex] eis hanc infringere vel emutare voluerit, dei om[nipo]tentis iram habeat [et in]super omnium eius sanctorum odium incurrat.

Actum publice in civitate Colonia V id. septembr. anno gloriosissimi regis Otdonis VI, indictione II, in dei nomine feliciter. Amen.

Signum domni Uuichfridi archiepiscopi, qui hanc cartam fieri iussit. Signum Engilberti prepositi, Ratfridi presbiteri, Ad[a]lh[ar]di presbiteri, Raduuigi presbiteri, Gerhardi presbiteri.

Signum Adalboldi presbiteri, Uuolfredi diaconi, Stephani diaconi, Adalgeri diaconi.
Signum Hathaboldi diaconi, Adalberti diaconi, Rathari diaconi, Ruotpoldi laici, Reginoldi
laici. Signum Godefridi, Uuerenharii, Herradi, Franconis, Uuichingi, Mathfrid, Guntrami,
Gerberti, Sigiberti, Beroldi, Hermboldi.

H[er]libertus cancellarius scripsit hac cartam et (SR.).